

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6817

**Auteur(s)** : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Longué-Jumelles, Notre-Dame des Bonshommes de Monnais, dépendance Grandmont (prieuré)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : faux

**Datation** : 1159, 7 juin

**Action juridique** : fondation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Charte de fondation de la maison de Monnais, ordre de Grammont. — Acte faux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CXXXII, t. 1, p. 239-240.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 239.

Sur l'authenticité de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 239.

Texte établi d'après a

H., rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, justiciis, senescallis, prepositis et omnibus fidelibus suis, salutem. Sciatis quod ego, pro amore Dei et salute ac remedio anime mee et animarum illustris memorie Henrici regis, avi mei, et patris et matris mee et omnium antecessorum et successorum meorum, dedi, concessi et confirmavi Deo et beate Marie et priori et fratribus Grandimontis ordinis locum de Mosnès et totum nemus, sicut exterior clausura et fossata que propriis expensis meis facta sunt claudunt, dividunt et distinguunt, liberum et quietum, perpetuis temporibus pacifice possidendum et habendum, ad faciendum, sine alicujus contradictione, inquietatione, contrarietate et violentia, quidquid inde de eo et in eo illis facere placuerit, et quidquid de eo facere voluerint, et quandocunque et quotiescunque facere voluerint, et per totam aliam forestam omnia necessaria ad edificationem et usum ejusdem loci et fratrum habitantium in eo, quandocunque et quotiescunque voluerit et eis capere placuerit. Concessi insuper, dedi et confirmavi fratribus de Mosnès duos solidos Andegavensium singulis diebus apud Salmurum, de reddito nostro singulis annis in perpetuum, sine contradictione aliqua et disceptatione pacifice percipiendos, et apud predictum castrum et singula castra et villas nostras, juxta quas domus eorum est sita et posita, unum hominem quietum, liberum et immunem ab omni tallagio, pontagio, theloneo, pasnagio, foragio, exercitu et omni consuetudine et exactione, et de omnibus rebus et exactionibus ad me et successores meos pertinentibus. Preterea nominatis fratribus dedi, concessi et confirmavi ut omnes homines, quoscunque ex dono quorumlibet hominum habent vel habuerint, ab omni pasnagio quieti sint, liberi et immunes, illi et omnes alii homines, quos ex dono meo et successorum meorum habent in presenti, vel habebunt in posterum, sine contradictione aliqua

per totam forestam meam de Mosnès et de Valea ad usus proprios capiant de nemore mortuo, quotiescunque voluerint et eis necesse fuerit. Hec omnia, que predictis fratribus ex dono meo et successorum meorum vel ex dono quorumlibet hominum data sunt vel fuerint et concessa, libere et quiete, plenarie et pacifice in perpetuum habenda, tenenda et possidenda eis concessi et presenti carta confirmavi, et in manu et protectione atque custodia mea et successorum meorum posui et suscepi, et sicut res proprias, dominicas et speciales custodiri firmiter precepi, et statui defensione perpetua conservari.

Testibus : Frogerio Sagiensi et Stephano Redonensi episcopis, comite Willelmo de Mandevilla, Ricardo de Humetis constabulario, et Willelmo de Sancto Johanne, Hugone de Sancta Maura, Geldewino de Dreio et Stephano de Marzai.

Datum apud Cenomannim, per manus magistri Radulfi cancellarii, septima die junii (sic), anno quinto regni nostri.